Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 287
Quelle:
Copyright:

quet, quam vide inter *Orthodoxographa* p. 236. *Fol.* tandem 27. *Incipit unum ex quatuor. seu concordia Euangeliorum et desuper expositio continua. exacta et diligenter edita a Zacharia crisopolita.* Inscriptionem hanc miniatam excipit Praefatio, quae inchoat: *De Excellentia Euangelii et differentia ipsius ad legem* &c. neque in plures divisa est, ut in editis, sed sine interruptione decurrit usque ad ultima haec verba: *uel eadem uel uicina dixerunt.* Notandum tamen, particulam illam, quae *Conspectum IV. Librorum* praecedit, et in *Bibl. PP. suprac.* inscripta est: *Admonitio Lectoris*, a *Cod.* nostro abesse. Duo praeterea ex hac *Praef.* conficiuntur: *Zachariam* ignorasse, an aevo suo *Tatiani Harmonia* superesset; ait enim: *Sane huius heresiarche si superesset opus euangelicum* &c. et non habuisse compertum, se in *Ammonii Harmoniam* commentari; nam paullopost scribit: *At uero huius Operis quis auctor imo ordinator extiterit nihil interest ignorare.* Liber I. incipit a *Praef. Lucae: Quoniam quidem multi* &c. Expositio vero ipsa a C. I. *Job. In principio erat verbum.* Finis L. I. *ultra speratum commendat.* Initium L. II. *Et factum est cum consummasset* &c. Finis: *pharyseorum panes.* Initium L. III. *Venit autem Jesus in partes* &c. Finis: *sub terra esse nemo ambigat.* Initium L. IV. *Et factum est cum consummasset* &c. Finis: *Hoc non post paruum tempus ascensionis.* Subjicitur rubrica: *Explicit unum ex quatuor seu concordia euangeliorum.* Usus est ad Μονοτεσσαρον istud illustrandum, ut ipse in *Praef.* ait, *Zacharias* Operibus *Hieronymi*, *Hilarii*, *Rabani*, *Bedae*, *Ambrosii*, *Augustini*, *Albini*, *Origenis*, *Gregorii* et *Job. Chrysostomi.* Sequuntur in Codice *fol.* 212. *Interpretationes* Nominum Hebr. et Graec. ut ad calcem Bibliorum passim habentur, hisque adhaerent *Tropologiae de Deo* ad modum Formularum spiritualium *Eucherii Lugd.* Locus *Remigii in Matth.* c. 351. de mortis Christi anno et celebratione Paschatis, *Anonymi Dominice orationis expositio*, quae incipit: *Pater noster qui es in celis. In hoc loco docet christus discipulos* &c. finit: *et hoc ordine complentur iste VII. petitiones.* et sub rubrica sequente: *Abbreuiati Symboli expositio. ex auctoritatibus sanctorum patrum collecta. et recitata Bononie in ecclesia beati Petri a magistro Theobaldo Brittone Turonensi Canonico.* Initium hujus Expositionis: *O sapientia genita da mihi sapientiam* &c. Finis vero: *de infidelibus fideles faciat sancta trinitas unus deus pater. et filius. et spiritus sanctus. Amen.* In variis *Mss. Catalogis* frustra quaesita lucem nunquam aspexisse videtur. Ultimum *Cod.* nostri folium *cippum* exhibet quatuor leonibus innixum inscriptumque: P. P. P. E. S. S. S. E. tum V. V. V. V. V. V. V. demum: F. F. F. F. R. R. R. R. Grates Oedipo, qui et interpretationem statim adjecit! Legendum itaque primo: *Pater*